



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. III. An homo in statu naturæ lapsæ, possit sine gratia aliquod bonum
morale naturalis ordinis velle, & facere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

excedit vires naturales. Antecedens probatur: A. A. quod ejus primum & formale specificativum est supernaturalis, quoad substantiam & entitatem supernaturalis est: Sed primum & formale specificativum assensus fidei est supernaturalis: Ergo talis assensus est quoad substantiam & entitatem supernaturalis. Major pater: nam si primum & formale specificativum actus fidei est supernaturalis, ejus species & essentia supernaturalis erit: Ergo & ejus entitas & substantia; cum nihil magis pertineat ad entitatem & substantiam cujuscunque rei, quam ejus species & essentia. Minor vero suadetur: Assensus fidei non terminatur ad veritates supernaturales quomodoque, sed terminatur ad eas sub ratione formalis divinæ revelationis; adeo ut quamvis sint alia motiva quæ inducere possunt ad credendum, illa tamen debeat intellectus transcendere & illis non inniti, sed soli auctoritati Dei revelantis: At divina revelatio est quid supernaturalis: Ergo primum & formale specificativum assensus fidei, est supernaturalis.

Dices: Actus fidei, cum sit vitalis, dicit ordinem ad potentiam vitalem à qua elicitur, nempe ad intellectum, & ab eo specificatur: Sed intellectus est potentia naturalis: Ergo actus fidei, quoad speciem, subindeque quoad entitatem & substantiam, naturalis est, & solum supernaturalis quantum ad modum quemdam accidentalem, & quatenus per modum dispositionis ad formam & finem supernaturalem ordinatur. Unde Concilium Arausicanum can. 6. & Tridentinum sess. 6. can. 3. non definiunt absolute necessarium esse auxilium gratiæ ad credendum, sed Arausicanum addit, sicut oportet; & Tridentinum; sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur.

Respondetur actum fidei, ut vitalem, dicere ordinem ad potentiam vitalem, non nudè sumptam, sed ut elevatam per habitum fidei, vel auxilium speciale, quæ sunt ratio proxima agendi, intellectus vero est principium duntaxat radicale & remotum: unde cum habitus fidei, & auxilium speciale, sunt supernaturalia quantum ad substantiam, actus fidei ab illis immediate procedens est quoque supernaturalis quantum ad substantiam, & non solum quantum ad modum. Ad illud vero quod ex Arausicano & Tridentino subditur, dicendum est, illa Concilia verba prædicta in suis definitionibus apposuisse, quia solum definire contra Pelagianos voluerunt, necessarium esse gratiam ad credendum sicut oportet ad justificationem & salutem; & non curantur questionem illam Theologicam, de qua agimus, determinare, an scilicet assensus fidei sit supernaturalis quoad substantiam, vel solum quantum ad modum, sed id reliquere Theologis disputandum.

Addunt aliqui, prædicta Concilia ita loqui, & addere verba illa, sicut oportet, ut indicent, posse quidem hominem per solas naturæ vires assensui veritatibus fidei sibi exterius propositis, assensu quodam opinativo, ita ut ratio, propter quam illis assentitur, non sit divina revelatio, sed motivum aliquod probabile, ut in hæreticis contingere cernimus; non tamen assensu certo & infallibili, auctoritati, & veritati Dei revelantis innixio, qualis requiritur ad justificationem.

ARTICULUS III.

An homo in statu naturæ lapsæ possit sine gratia aliquod bonum morale naturale ordinis velle, & facere?

Questio procedit de triplici gratia; nimirum de gratia justificante, ad quam pertinet charitas, de gratia fidei, & de gratia actuali, seu auxiliante; juxta triplicem sententiam, quæ in hujus dubii resolutione circumfertur. Prima est Michaelis Baii, existimantis ad omne bonum morale requiri gratiam habitalem, & imperium charitatis; subindeque omnia opera quæ homo peccator elicit, esse peccata. Unde 34. ex propositionibus ejus à Pio V. & Gregorio XIII. proscriptis, sic habet: Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Et 39. In omnibus suis actibus peccator servit dominantis cupiditati.

Secunda est Janfenii, assentientis ad omne opus moraliter bonum, gratiam fidei esse necessariam ex quo infert, omnia opera in fidei sum esse peccata, & omnes eorum vires, vitia. Unde lib. 3. de statu naturæ lapsæ cap. 14. ait: Indubitatum esse in doctrina Christi & Ecclesiæ, nullum opus bonum, nequidem moraliter ab humano arbitrio posse fieri, nisi per gratiam, non quamlibet, sed fidei, liberetur: ut proinde ante fidem non sit liberum à peccato, dum hic & nunc agere meditatur, abstinere; sed quocumque se verterit, quadam damna viribus insolubili peccandi necessitate teneatur. Et capiti 7. ejusdem libri hunc titulum præfigit: Nugæ, delirium, insania, impietas, contraria Christianorum sensui, scripturæ, & fidei, quod infidelium sit ulla vera virtus, vel opera sine peccato, juxta Augustinum & Concilium Arausicanum.

Tertia sententia, licet ad actus moraliter bonos influxum charitatis aut fidei non requirat, docet tamen ad bene operandum moraliter necessariam esse gratiam, quandam actuale & auxiliantem. Hanc olim tenet Gregorius de Arimino in 2. dist. 28. quem sequitur Vasquez hic disp. 189. licet iste diverſo ducatur motivo: Gregorius enim necessitatem gratiæ auxiliantis ad opus morale probat ex defectu potentie, unde illam exigere debet, ut de posse expeditum. Vasquez autem non ex defectu potentie, sed ratione indifferentiæ liberi arbitrii ad bonum vel ad malum, ejusdem gratiæ necessitatem asseruit, quare illam exigit, non ut de posse, sed actu agere; eamque consulere docet in quadam cogitatione honesta & congrua; hoc est ad temperata genio, complexionem, seu temperamento hominis, vel à Deo immixta in circumstantiis illis & occasionibus, in quibus prævidet ab æterno sua scientia media liberum arbitrium, per eam excitatum, ipsi consensurum. Eandem sententiam, ut probabiliorē, amplectitur illustrissimus Dominus Abelly, Episcopus Ruthenensis, in sua medulla Theologica, Tract. de gratia, lect. 5. conclus. 2.

§. I.

Error Michaelis Baii proſcribitur.

Dico primò: Absurdum est dicere, nullum opus morale, seu honestum, fieri posse sine gratia sanctificante, ita ut quæcumque sunt à peccatoribus ante adeptam justificationem, sint peccata.

42
101 Probatur primò ex Tridentino sess. 6. can. 7. A ubi sic habetur: Si quis dixerit omnia opera, quæ ante justificationem sunt, verè esse peccata, anathema sit. Et can. 8. damnatur ille qui dixerit mercedem gehennæ esse malum: Sed hic metus reperitur in peccatoribus, ante adeptam gratiam justificationis: Ergo ex Tridentino quæcumque sunt, à peccatoribus ante adeptam justificationem, non sunt peccata.

102 Confirmatur: Scriptura Lucæ 11. hortatur peccatores ad elemosynam: Date elemosynam, & omnia munda sunt vobis: Sed non hortaretur ad illam, si non posset à peccato, & fieri, gratia sanctificationis privato, sine admixtione peccati: Ergo &c. Item Danielis Nabuchodonosori dicitur: Peccata tua elemosynæ redime: At constat operibus malis peccata redimi non posse: Ergo elemosyna, à peccatore facta ex intentione subveniendi alienæ miseræ, non est opus malum, sed honestum, & moraliter bonum.

103 Probatur secundo ex SS. Patribus: Augustinus enim de Spiritu & littera cap. 28. hæc scribit: Si quis non impediatur à vita æterna iustum quoddam peccata venialia, sine quibus vita hac non elucitur: sic ad salutem æternam nihil profunt aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet peccati hominis invenitur. Et Chrysostomus homil. 67. ad populum: Non potest (inquit) malus omnino melius esse, sed evenit ut aliquid habeat boni; neque bonus esse omnino bonus, sed nonnulla solet habere peccata. Quibus verbis declarant, quod sicut fragilitas humana, vi prorsus inclutabili implicat sepe peccatis nonnullis venialibus quantumlibet iustum; ita lumen fulgus Domini naturaliter inditum hominibus, atque inextinguibilis boni & æqui ratio, assidue sollicitans animum, extorquet frequenter à quovis peccato levia nonnulla & facilia opera naturalia, nulla permixtione mali aut intempestionis nequam vitiosa.

104 Probatur tertio ratione: Virtutum opera, ut iustitiæ, religionis, misericordiæ, temperantiæ, &c. iure naturali & divini præcipiuntur hominibus etiam iniustis, & mortalis peccati labe inquinatis: Actus non præcipiuntur, nisi ea possent exequi sine admixtione peccati, & ita ut essent omni ex parte honesta: Ergo, &c.

Dico secundo, falsum pariter esse ac erroneum, asserere nullum opus bonum fieri posse sine charitate, hoc est, nisi in Deum propter se dilectum referatur; & sine tali relatione, & charitatis imperio, actus caritativorum virtutum esse malos & veri peccati contaminatione pollutos.

105 Probatur primò ex Tridentino sess. 14. cap. 4. & can. 5. definiente attritionem (quam ibidem dicit esse dolorem de peccatis, non conceptum ex motivo charitatis, sed ex turpitudine peccati consideratione, vel ex gehennæ & poenarum metu) esse verum Dei donum, & Spiritus sancti impulsus, (qui certe non impellit ad malum, & ad verum peccatum) ac denique esse motum bonum, ut addit in fine capituli citati, & peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento poenitentiae obtinendam disponere. Ergo ex Tridentino potest dari aliquis actus honestus, & moraliter bonus, sine influxu & imperio charitatis.

106 Probatur secundo ex SS. Patribus: Augustinus enim lib. de patientia cap. 26. sic ait: Si quis non habens charitatem, & in aliquo schismate constitutus, ne Christum niger, patitur tribulationes, angustias, famem, &c. nullo modo elipanda ista sunt, imò verò & hæc laudanda patientia. Et Fulgentius ejus discipu-

lus lib. de Incarn. cap. 26. hæc scribit: Aliqua quidam bona, quæ ad societatem humanam pertinent æquitate, in se possunt (peccatoribus) sed quia charitate Dei non sunt, prodesse non possunt, ad salutem videlicet & ad vitam æternam.

Probatur tertio ratione: In hoc distinguitur bonitas moralis quæ in nostris actibus reperitur à bonitate supernaturali & meritoria vitæ æternæ, quod prima constituitur absque habitudine ad finem supernaturalem, per solam conformitatem quam actus habet cum recta ratione & prudentia; secunda verò procedit ex influxu gratiæ & charitatis, referentis actus nostros in finem supernaturalem: unde quamvis sine charitate homo non possit elicere actus supernaturales, & meritorios vitæ æternæ, potest tamen sine illa plures actus honestos & moraliter bonos exercere, v.g. colere parentes, obedire superioribus, subvenire egenis: isti enim actus ex fine proximo, seu objecto, habent honestatem & bonitatem morale, unde ut sint moraliter boni, non est necesse quod illam à fine extrinseco & imperio charitatis participant.

Confirmatur: Si ordinatio ista ad cuiusvis operis honestatem, & bonitatem moralem necessaria sit, sequitur quod quotiescumque homo operatur libere, seu cum deliberatione rationis, attingatur præcepto diligendi Deum super omnia: Sed hoc absurdum est, cum enim hoc præceptum sit positivum, non obligat pro semper, sed pro tempore determinato: Ergo & illud. Probatur sequela: Nam cum juxta communem sententiam non detur actus indifferens in individuo, quotiescumque homo libere, seu cum deliberatione operatur, tenetur honestè & bene moraliter operari: Ergo si ordinatio & imperium charitatis ad cuiusvis operis honestatem & bonitatem moralem requiritur, manifestum est præceptum charitatis obligare pro quocumque tempore, in quo homo libere seu cum deliberatione operatur.

Confirmatur amplius: Si nullum opus est bonum, nisi quod fit ex motivo charitatis propter Deum summè dilectum, sequitur nullam esse virtutem, præter unam charitatem, cui soli competit operari propter tale motivum: At hoc repugnat non solum Scripturæ, quæ plures alias virtutes agnoscit, & commendat pluribus locis, sed etiam manifestæ rationi; nam virtus, ex receptissima definitione, est habitus cum ratione electivus, id est conformiter rectæ rationi eligens & agens; manifestum est autem, rectæ rationi consentaneum esse, vivere temperatè, agere fortiter, subvenire indigentium necessitati, exhibere parentibus, superioribus, benefactoribus, honorem, obedientiam, gratitudinem, aliaque his similia præstare, quæ etiam præcisè relatione ad Deum ut summè dilectum honesta sunt, & secundum rectam rationem appetibilia: Ergo, &c.

§ II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem obijciuntur in primis quædam Scripturæ testimonia, quibus videntur reprobari omnia opera eorum, qui adhuc sunt in statu peccati, etiam si illa sint bona ex objecto, ut laudare Deum, vel illi offerre sacrificium: Ergo ut actus aliquis sit bonus & honestus, gratiâ sanctificante informari debet.

Con-

Consequētia videtur legitima: Antecedens vero patet ex illo Psal. 49. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os suum? & ex illo Isaia 1. Quo mihi multiplicatum est sacrificium vestrum, dicit Dominus, &c. Ne indigne victimarum vestrarum, dicit Dominus, est mihi offeratur sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi, &c. Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam, manus enim vestra sanguine plene sunt.*

111. Respondeo, Deum verbis illis non significare, hæc omnia esse peccata, ex eo solum quod a peccatoribus fierent, sed tantum reprehendere pravam intentionem Judæorum, a qua procedebant: illi enim hæc non ex affectu religionis & honesti præstabant, sed ex hypocrisis & vano gloria, omnemque suam iustitiam in cultu illo exteriori constituebant, contempti virtute, & cultu Dei interno, juxta illud Isaia 29. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.*

112. Obijciunt secundo: Omnes actus hominis in peccato mortali existentis, referuntur ex parte operantis ad malum finem: Ergo sunt peccamina non & moraliter mali, Consequētia patet: actus enim ex objecto & specie boni, ex intentione malis vitiantur: Antecedens probatur. Existens in peccato mortali, omnia quæ appetit, ordinat ad bonum privatum, ut in ultimum finem, ut enim in Tractatu de peccatis ostendimus, ultimus finis peccatoris est vel ipse peccator, vel bonum proprium & privatum ipsius: Ergo omnes actus hominis, in peccato mortali existentis referuntur ex parte operantis ad malum finem.

113. Respondeo negando Antecedens: ad cuius probationem, nego pariter Antecedens: etsi enim omnes actus peccatoris sistant in bono proprio, non tamen per omnes in tali bono ultimam hæc constituit, sed per illos duntaxat, qui sistant in ipso privative, excludendo scilicet gratiam & charitatem, per quam fieri debet relatio ad finem supernaturalem, & huiusmodi sunt sola peccata mortalia: alii vero actus honesti, aut venialiter peccaminosi, quos existens in peccato mortali elicit, in bono proprio sistant duntaxat privative, quia non excludunt talem relationem, sed solum ab ea præscindunt, ut loco citato fusè exposuimus: unde ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem sæpius repetamus.

114. Obijciunt tertio contra secundam conclusionem, Opus hominis esse ad ordinem supernaturalem, redditur, nulum ex defectu ordinationis ad supernaturalem finem: At talem circumstantiam nequit ponere sine charitate: Ergo nec sine illa opus aliquod moraliter bonum elicere. Minor patet: Major probatur. Cum enim in homine natura sensitiva cum rationali conjuncta inveniat, omnis actus liber, circa bonum convenientis naturæ sensitivæ elicitur, redditur malus ex defectu ordinationis ad bonum conforme naturæ rationali, ut docet D. Thomas supra qu. 18. art. 9. ubi ex hoc principio infert, non posse dari actum liberum indifferentem in individuo: At in homine elevato ad ordinem supernaturalem natura invenitur conjuncta cum elevatione ad gratiam: Ergo similiter ex defectu ordinationis ad finem conformem gratiæ, vitiosum redditur omne opus morale ordinis naturalis.

115. Respondeo negando Majorem: ad cuius probationem, nego etiam Majorem: causa enim ad æquata effectus ibi relati, non est conjunctio naturæ sensitivæ cum rationali, sed subordinatio quam habet ad illam in omni actu deliberato: cum enim natura sensitiva ratione sui non sit

libera, actum aliquem deliberatum exercere nequit, nisi ut subordinata rationali; eo autem ipso quod homo ut rationalis operatur, tenetur apponere finem rationi conformem, subindeque ex defectu istius finis, quodvis illius opus vitiat: homo vero ad ordinem supernaturalem elevatus non subordinatur in omni actu suo formæ elevanti, & ideo non tenetur omni actui finem elevationi conformem apponere; & per consequens ex defectu istius finis opus ejus non vitiat.

Denique contra eandem conclusionem obijci possunt quædam Augustini testimonia, quibus aperte significat, ceterarum virtutum actus esse vitiosos, nisi à charitate inperentur: ait enim lib. de gratia & libero arbitrio cap. 15. *Præcepta charitatis tanta ac talia sunt, ut quidquid se putaverit homo bene facere, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene.* Item in lib. de moribus Ecclesiæ, Epist. 106. & lib. 1. Retractionum ca. 15. dicit: *omnia bona hominis in summum bonum referenda esse.* Et lib. 19. de Civit. cap. 15. *Virtutes (inquit) dum propter se appetuntur, superba vitia sunt.*

Ad primum dicendum, Augustinum loqui de bonitate morali, non quacumque, sed supernaturali, in qua fundatur condignum meritum vitæ æternæ: hæc enim bonitas gratiam & charitatem in operando præsupponit.

Ad secundum respondeo, vel Augustinum solum velle opera bona per charitatem in Deum referri debere, ut sint condigne meritoria æternæ gloriæ: vel si ad eorum bonitatem moralem ipsorum relationem in Deum exigit, loqui de relatione in Deum, in quolibet opere honesto & moraliter bono imbibita: cum enim quilibet actus honestus sit participatio quædam rectitudinis morales voluntatis divinæ, & obsequium ei gratum & honorificum, intrinsecè ac per se in Deum, ut luminis rationis, ac totius boni honesti auctorem, referunt.

Ad tertium dicatur, Augustinum ubi disputare contra Stoicos, quod ultimum finem hominis, ac summum bonum, in virtute collocabant; unde solum intendit, affectum quo virtus tanquam ultimus finis appetitur, non esse actum virtutis, sed superbiam.

§. III.

In senij doctrina refellitur, & omnia infidelium opera non esse peccata demonstratur.

Dico secundo: Falsum est dicere, gratiam fidei, seu fidem supernaturalem, ita necessariam esse ad bene operandum, ut sine illa nihil boni fiat, omniaque infidelium opera sint peccata.

118. Probatur primò ex Scriptura, quæ hortatur sæpius peccatores, etiam infideles, ad jejunium, orationem, elemosynam & alia bona opera: Ergo supponit posse ab illis bene fieri, neque enim hortatur ad malè operandum. Unde Daniel. 4. *Propheta sic alloquitur Regem Nabuchodonozor: Consilium meum placeat tibi, & peccata tua elemosynis redime:* At peccata non redimuntur peccatis: Ergo illæ elemosynæ Regis, licet infidelis, non erant peccata, sed opera misericordiarum, apta ad impetrandam Dei misericordiam, & flexandam ipsius iram, ac ultionem imminentem advertendam.

Deinde Scriptura variis in locis refert aliqua infidelium opera fuisse à Deo remunerata, quæ

le est beneficium præstitum Israëlitis ab obsecratoribus ægyptiis, quod Deus remuneratus est edificando eis domos, ut dicitur Exodus 1. & gratia præstita à Rahab exploratoribus Israëlitarum, quam Josue, juxta Dei voluntatem, alio beneficio compensavit, ut refertur Josue 2. & 6. Item Ezechiel 29. Nabuchodonosor dicitur sui operis mercedem à Deo accepisse. Et Augustinus lib. 7. de civitate Dei cap. 15. asserit Deum dedisse Romanis infidelibus imperium amplum, ut eorum virtutes in hac vita remunerationem aliquam haberent. Ex quibus omnibus locis possumus hoc argumentum deducere. Deus nulla peccata remuneratur, sed punit: At opera aliqua infidelium non sunt peccata. Quam rationem insinuat Hieronymus in cap. citatum Ezechielis ubi sic ratiocinatur: Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis intelligimus etiam Ethnicos si quid opera boni fecerint, non absque mercede, Dei iudicio præteriri.

120 Probat secundò ex Augustino de spiritu & littera cap. 24. ubi ait, esse quadam facta infidelium, à gratia Christi alienorum, quæ secundum iustitiam regulam non modò vituperare non possumus, verum etiam meriti, recteque laudamus: quæ quævis discutatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ iustitia debet in laudem defensionemve mererantur. Eiusque reiterationem reddens, subdit immediate post, initio scilicet capituli 8. Veruntamen gratia non usque ad deam anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meriti dici possit, etiam in ipsa impietate vix sua facere aliqua legi, vel sapere. Et paulò interius de Gentibus loquens: Ipsi homines erant (inquit) & in illa natura merat eam, quæ legitimum aliquid animæ rationali & ferri & facit. Denique ibidem addit: Sicut non impediunt à vita æterna iustum quadam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil profuit impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pèssimi invenitur.

121 Confirmatur: Idem S. Doctor Epistolæ 99. ad Evodium, & quibusdam Ethnicis loquens ait, quod illi, excepto Dei cultum quo erraverunt, colentes vana quæ publicè colenda fuerant instituta, & creatura potius quam creatori servientes, in ceteris moribus, parsimonia, continentia, castitas, sobrietas, mortis pro patria salute contemptus, servataque fidei, non solum civibus verum & hostibus imitandi proponuntur. Et Epistolæ 130 laudat continentiam Polemonis Ethnici adolescentis, aitque illam fuisse donum Dei. Item libro de gratia Christi cap. 24. ex subita mutatione Regis Assueri in favorem Judæorum, inferre, intelligendum & fatendum esse, Non legem atque doctrinam sonante foris secus, sed internam atque occultam, mirabili atque ineffabili potestate, operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates: Ergo ex Augustino omnia opera infidelium non sunt mala.

122 Respondet Iansenius libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 5. & 6. his testimoniis, quæ ex Scriptura & Augustino adduximus, tantum probati infidelibus dari aliqua opera bona ex officio, seu ex parte objecti, sed non bona omni ex parte, præsertim verò ex parte finis: cum enim talia opera pravam animam respiciant, vel debito fine careant, mala sunt, & vera peccata.

123 Sed contra primò: Augustinus opera aliqua infidelium dicit esse ad bona, ut secundum iustitiam regulam meriti recteque laudanda sint: At iustitiæ regula attendit præcipuè ad finem & intentionem

operantis, & operantem actum bonum ex intentione mala, non dignum laude, sed vituperio censet: Ergo Augustinus sentit dari infidelibus aliqua opera bona, non solum ex objecto, quod respiciunt, sed etiam ex fine & intentione quæ fiunt. Nec obstat quod ibidem de illis operibus subdat: Quamquam si discutatur, quo fine fiant, vix inveniuntur quæ iustitia debitam laudem mereantur: nam particula, vix, non significat ea nunquam in infidelibus reperiri, sed tantum ea raro & difficulter in ipsis inveniri, quia illi ut plurimum ex aliquo pravo motivo, præsertim ex vanæ gloria, operantur, ut infra dicemus.

124 Secundò Idem S. Doctor Epistolæ 99. citat a se ferit dari in infidelibus aliqua opera ad bona, ut merito proponantur imitanda: At opera bona solum ex objecto, & mala ex fine operantis, cum sint vera peccata, non debent proponi ut imitanda, sed potius ut detestanda: Ergo idem quod prius.

125 Tertiò, Idem Augustinus ibidem addit, quod etsi talia opera infidelibus non prosint in ordine ad vitam æternam, ita tamen delectant, ut eos in quibus fuerint vellemus ab inferno liberari, nisi aliter se haberet sensus humanus, aliter iustitia Creatoris: At hoc de operibus, quæ sunt bona ex objecto, & mala ex fine operantis, rectè dici non potest; alioquin posset quis legitime optare beatitudinem danti elemosynam fornicari indigenti, ex intentione eam inducendi ad peccatum, aut facienti quædam alia opera ex se bona & honesta, ex pravo fine: Ergo &c.

126 Quartò, Idem Doctor sanctus Epistolæ 130. citat à se continentiam Polemonis, id est, affectum efficacem continendi, in quo primò & præcipuè virtus illa consistit, fuisse donum Dei: At si existimasset affectum illum fuisse vitiosum, & veri peccati sordem contamipatum, non debuisset illum appellare donum Dei; absurdum enim & impium est dicere peccatum esse donum Dei: Ergo, &c.

127 Quintò, Augustinus, ut supra vidimus, ex subitane mutatione Regis Assueri ab indignatione ad lenitatem, inferre Deum operari in cordibus hominum, non solum in veras revelationes, sed etiam bonas voluntates: At hoc non rectè inferret, si existimaret affectum illum Assueri, Judæis favorabilem, fuisse malum & vitiosum ex fine, cum Deus author peccati esse non possit, nec illud in cordibus hominum operari: Ergo idem quod prius.

128 Sextò, Scriptura, Augustinus & Hieronymus, locis supra relatis, testantur aliqua infidelium opera fuisse à Deo remunerata: At si illa fuissent mala ex intentione & affectu vitioso operantis, aut ex defectu relationis in Deum, non fuissent remunerata à Deo, cum talia opera non mercedem, sed poenam mereantur: Ergo Scriptura & SS. Patres citati, sentiunt illa fuisse bona, non solum ex objecto, sed etiam ex fine operantis.

129 Denique Augustinus loco citato libri de spiritu & littera ait: Sicut non impediunt à vita æterna iustum quadam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil profuit impio aliqua bona opera sine quibus difficillime vita cuiuslibet pèssimi invenitur. Sed hæc oppositio peccatorum venialium in iustis, & bonorum operum in infidelibus, non esset bona, si hæc opera ratione finis pravi, vel defectu finis debiti, essent peccata venialia, vel quod peius est, mortalia: nec rectè diceret Augustinus, ea non prodesse impio ad vitam

vitam æternam; nam si illa essent mala & vera peccata, non solum non prodessent ad vitam æternam, sed etiam illi obessent, ut patet: Ergo sentit opera illa infidelium non fuisse mala ex fine operantis.

Probatur tertio conclusio ex D. Thoma, fidelissimo Augustini Discipulo, quem Jansenius Augustinum contrarium appellat. Hic enim S. Doctor ita clare & expresse nostræ patrocina- tur sententiæ, ut de ejus mente nefas sit dubita- re. Ait enim super cap. 14. Epistolæ ad Roman. lect. 3. Cum aliquis infidelis ex dictamine rationis ali- quod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat. Non tamen opus ejus est meritorium, quia non est gratia informatum. Et super caput 1. Epistolæ ad Titum lect. 4. exponens hæc verba Apostoli: Conquiritur autem & infidelibus nihil est mundum, subdit: Quando peccator facit aliquid bonum, secur- dum quod est peccator & infidelis, totum est peccatum ex radice: sed si quid facit ex principio alicujus boni quod habet, ut fides informis, vel natura, non est immundum. Item 2. 2. quæst. 10. art. 4. quærit, utrum omnis a- ctio infidelis sit peccatum? & respondet negative: Quia (inquit in resp. ad 3.) per infidelitatem non cor- rumptur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in ipsi aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquid opus de genere bonorum. Quam ra- tionem supra insinuat Augustinus, cum di- cit quod in anima hominis non est adeo detrita imago Dei terrenorum affectuum labe, ut nul- la in ea veluti extrema lineamenta remanse- rint.

Quarto suadetur conclusio, & simul præci- puum Jansenii fundamentum convellitur. Po- test infidelis liberè aliquid actum elicere, qui tendat in objectum honestum, cui nulla prava apponatur circumstantia, nec ulla ex debitis de- sit: Sed iste actus est moraliter bonus: Ergo &c. Minor constat: nihil enim amplius requiritur ad opus moraliter bonum. Major verò probat- ur quantum ad singulas partes. Et primò quòd possit infidelis liberè elicere actum ex objecto honestum, patet: quia potest liberè elemosy- nam indigentibus largiri, debitum solvere credito- ri, honorare parentes &c. quilibet autem ex il- lis actibus habet, ut constat, objectum ex se ho- nestum. Secundò quòd possit elicere aliquem ex illis actibus, nullam pravam circumstantiam illi apponere, sic ostenditur. Si quæ esset mala circumstantia, sine qua non posset infidelis eli- cere prædictos actus, vel esset ipsa infidelitas cum qua operatur, vel vana gloria, aut alius finis pravus, in ordine ad quem tales actus eliceret? Sed potest infidelis dare elemosynam indigen- ti, absque eo quod circumstantia infidelitatis ejus vitiet talem actum; potest enim illum elice- re, non ut infidelis formaliter, sed ut agens per rationem, & ut habens liberum arbitrium, ita ut ipsa infidelitatis circumstantia materialiter so- lum se habeat, subindeque nihil malitiae infuat in talem actionem; unde S. Thomas loco ultimò citato ait: Sicut habens fidem potest aliquid peccatum committere in actu quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando, ita etiam infi- delis potest aliquid bonum facere, in eo quod non refertur ad finem infidelitatis. Item potest operari ta- lem actum propter honestatem elemosynæ præcisè, non intendendo vanam gloriam, aut alium malum finem; nam ipsa honestas actionis est, saltem aliquando, motivum sufficiens volun- tati ad eam eliciendam vel imperandam, maxi-

mè quando talis actio non est difficilis: Si enim (inquit Soto) potest unusquisque pro libito suo proje- re denarium in flumen, cur non poterit donare pauperi si- ne alia mala circumstantia, id quod est honestum? Ergo &c.

Denique quod possit infidelis elicere actum moralem cui nulla desit ex debitis circumstan- tiis, sic demonstratur. Si semper in omni ejus- modi opere ab infideli elicito deesset aliqua de- bita circumstantia, ut contendit Jansenius, ma- ximè, ut existimat, ordinatio talis actus ad Deum tanquam ad ultimum finem: Atqui potest hæc circumstantia non deesse tali actui, sed sufficien- ter ipsum efficere: Ergo potest nulla ei deesse de- bita circumstantia. Probatur Minor: Ad hoc e- nim non requiritur quòd ab operante intenda- tur talis relatio, sed sufficit quòd ipse actus ex natura sua, sive objecto, ordinetur in Deum, tanquam bonum particulare in bonum univer- sale, & quòd ille qui eum actum elicit, non im- pediat talem ordinationem, ipsum ad pravam aliquem finem ordinando, vel alia mala circum- stantia vitando, eò enim ipso quòd non impe- diatur relatio, quàm actus ex natura sua impor- tat ad Deum tanquam ultimum finem, refertur ad eum, saltem interpretative, & bonitatem ex tali relatione acquirit: Quas autem ex jam di- ctis, quòd infidelis potest ita se gerere, elicendo ejusmodi actum, quòd ipsius relationem ad Deum non impediat, per appositionem pravi finis, aut alterius malæ circumstantiæ: Ergo &c.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio hoc exemplo. Sicut lapis ex natura sua tendit in centrum, ut in terminum & finem sui motus, nisi violenter sursum impellatur ab agente extrinse- co: ita quodlibet opus ex objecto & ex natura sua bonum & honestum, tendit in Deum, & lu- minis rationis, ac totius boni honesti auctorem, nisi violenter ab homine in finem malum refe- ratur. Unde qui elicit actum honestum & bo- num ex objecto, nullum apponendo malam cir- cumstantiam, censetur (interpretative saltem) operari propter Deum: quod ad bonitatem mo- ralem actuum humanorum sufficit. Si verò ali- qua mala circumstantia tali actui apponatur, non retinet bonitatem moralem quam habet ex objecto; quia per hujusmodi circumstantiam impeditur effectus talis tendentiæ, qui est ipsius unio moralis cum Deo, & consequente parti- cipatio bonitatis ipsius: sicut per detentionem violentam gravis in loco sursum, impeditur effe- ctus inclinationis, quam habet ad centrum, nem- pe unio physica ipsius cum centro, sive cum co- co deorsum.

Potest etiam probari conclusio ex absurdo & inconvenienti, quod sequitur ex doctrina Jansenii. Si enim omnium infidelium opera sint peccata, sequitur quod quando infidelis obliga- tur ad observantiam alicujus præcepti naturalis, tunc sive observet, sive non observet tale præcep- tum, peccet: supponamus enim quod infideli miser aliquis occurrat, cui ex præscripto legis na- turæ teneatur subvenire; in tali casu si non suc- currat, peccat, quia facit contra præceptum na- turale, peccat etiam si ei subveniat, & elemosy- nam tribuat, cum juxta doctrinam Jansenii, om- nia infidelium opera sint peccata: quidquid er- go faciat miser ille infidelis, sive observet, sive non observet, legis naturæ præceptum, in pecca- tum ruit, subindeque necessariò peccat, quod si- ne errore affirmari nequit.

Præcipua Janſenii objectiones ſoluntur.

135 **C**ontra præcedentem concluſionem obijcit in primis Janſenius tres propoſitiones D. Auguſtini, quas ſæpe repetit S. Doctor, & urget lib. 4. contra Julian. cap. 3. Prima eſt: *Opera omnia infidelium ſunt peccata.* Unde tract. 89. in Joan. Quid (inquit) eſt boni operis ante fidem? cum dicat Apoſtolus, omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Et Epist. 105. ad Sixtum: *Opera bona ſunt ad homine, fides autem fit in homine, ſine qua illa à nullo ſunt, hominis: omne enim quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Secunda propoſitio Auguſtini eſt: *Nullum opus ſine fide eſt bonum:* quam probat ex ill. Apoſtoli ad Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Tertia eſt: *Virtutes Philoſophorum non fuerunt vera virtutes, ſed vitia:* Quæ propoſitio evidenter lequitur ex præcedentibus: cum enim virtus non ſit aliud, niſi principium boni operis, ſeu habitus cum recta ratione effectivus, ſi infideles nullum facere poſſunt, ac eligere opus bonum & honeſtum, ſeu rationi conſonum, manifeſtum eſt eos nullam etiam poſſe habere virtutem: Unde idem S. Doctor loco citato ait, *Non eſſe veras virtutes, niſi ubi eſt vera ſapientia & charitas Dei: & illud non eſſe inter Romanos & Græcos, qui eſſent veri ſapientes, ſtudioſique cenſendi.*

136 Ad hoc argumentum, quod eſt præcipuum fundamentum Janſenii, in primis dico, impoſſibile eſſe, Auguſtinum in una & eadem diſputatione contra Pelagianos tam manifeſtè ſibi contradicere: unde cum teſtimonia quæ adduximus in favorem noſtræ ſententiæ, ſint expreſſa, & deſumantur ex libris, in quibus ſanctus Doctor expreſſo contra Pelagianos diſputabat, neceſſe eſt interpretari loca quæ præfert Janſenius, & tres illas Auguſtini propoſitiones ſigillatim exponere, maxime cum prima & tertia inveniantur inter 72. propoſitiones Michaelis Baii à Pio V. & Gregorio XIII. proſcriptas. Hoc præmiſſo,

137 Ad primam propoſitionem dicendum, quod quando Auguſtinus aſſerit omnia opera infidelium eſſe peccata, vel ſumit nomen peccati in ampla quadam ſignificatione, niſi ſit prout ſignificat opus informe, & indignum vitæ æternæ: vel ſi loquatur de peccato ſtrictè & in rigore ſumpto, ſeu de actu malo & diſſormi regulis morum, ſolum intendit omnia opera infidelium, quæ procedunt ab iſtis, reduplicativè ſit infideles ſunt, ſeu ex errore contrario fidei, eſſe peccata, eſt ex objecto & ſpecie ſua ſint bona: ſi enim infidelis, ad honorem deorum ſuorum ſervet virginitatem, vel det eleemoſynam, haud dubiè peccat, quia in his actibus non operatur ut homo, & ex regula rectæ rationis, ſed ut infidelis, & ex regula ſui erroris, ſeu ex prava intentione, occaſione infidelitatis concepta.

138 Ad do, quod, ſicut cum dicitur Genef. 6. *Omnis caro corrumperat ſeam ſeam*, ly omnis ſumitur pro majori parte; ita cum Auguſtinus aſſerit omnia opera infidelium eſſe peccata, ſolum intendit, quod illi ordinariè & ſerè ſemper peccant, quia ut plurimum ex aliquo pravo motivo, præterit ex vana gloria, operantur; quapropter animalia gloria, vel mancipia vana gloria, eos appellat. In eodem ſenſu loquitur Proſper in carmine de ingratia, dum ait:

A Omne etenim probitatis opus, niſi ſemine vera Exoritur fidei peccatum eſt, inque reatum Vertitur, & ſterilis cumulat ſibi gloria penam.

Nomine enim hujus gloriæ ſterilis, quæ ſibi penam accumulat, non aliud quam vana gloria, quæ antiqui Philoſophi in omnibus ſerè ſuis actionibus trahebantur, intelligi poteſt. Unde Bernardus ſerm. 11. in feſto omnium Sanctorum de antiquis Philoſophis ait: *Calcaverunt ſubſtantiam, ſed non ſuperbiam: noluerunt abundare cenſu æterno, ut abundarent ſenſu ſuo.* Et Nazianzenus jambico 18.

Primum ſecuti rem bonam non ſunt bene:

B Magè nam movebat gloria hos, quàm amor boni.

Hinc etiam Juſtinus Martyr Apologiæ ad Senatum, Creſcenti Philoſopho improprietat, quod non Philoſophus, ſed Philocompus, & Philodoxus eſſet, id eſt gloriæ & popularis ſtrepitus amator.

Quod autem dicitur ad Roman. 14. *Omne* 139

quod non eſt ex fide, peccatum eſt, dupliciter poteſt exponi. Primo hoc poteſt intelligi, non de fide quæ eſt virtus theologica, ſed de dictamine conſcientiæ judicantis aliquid eſſe rectum aut licitum: loquitur enim Apoſtolus de his, qui per conſcientiam erroneam judicabant non eſſe licitum velci jam cibis lege antiquâ prohibitis: qui cum diſcernunt cibum à cibo, & eo veſcuntur quem putant licitum, peccant, quia non ex fide, id eſt ex dictamine conſcientiæ judicantis licere, eo utuntur: omne autem quod non eſt ex tali fide, peccatum eſt. Sed quia Auguſtinus hæc verba Apoſtoli de fide, prout eſt virtus theologica, ſæpè intelligit, ſecundo dici poteſt, quod quando dicitur: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ly non ex fide, debet ſumi non ſolum negativè, ſed etiam contrariè, ita ut ſignificet, illud quod non eſt ex fide, ſed ex infidelitate, peccatum eſt. Utramque expoſitionem tradit S. Thomas ibidem lect. 3. in fine, ubi ait: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſic eſt intelligendum: Omne quod eſt contra fidem, vel contra conſcientiam, peccatum eſt, eſt ex genere ſuo bonum eſſe videatur, puta ſi paganus ad honorem ſuorum deorum virginitatem ſervet, vel eleemoſynam det, hoc ipſo peccat.*

C cum diſcernunt cibum à cibo, & eo veſcuntur quem putant licitum, peccant, quia non ex fide, id eſt ex dictamine conſcientiæ judicantis licere, eo utuntur: omne autem quod non eſt ex tali fide, peccatum eſt. Sed quia Auguſtinus hæc verba Apoſtoli de fide, prout eſt virtus theologica, ſæpè intelligit, ſecundo dici poteſt, quod quando dicitur: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ly non ex fide, debet ſumi non ſolum negativè, ſed etiam contrariè, ita ut ſignificet, illud quod non eſt ex fide, ſed ex infidelitate, peccatum eſt. Utramque expoſitionem tradit S. Thomas ibidem lect. 3. in fine, ubi ait: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, ſic eſt intelligendum: Omne quod eſt contra fidem, vel contra conſcientiam, peccatum eſt, eſt ex genere ſuo bonum eſſe videatur, puta ſi paganus ad honorem ſuorum deorum virginitatem ſervet, vel eleemoſynam det, hoc ipſo peccat.*

D eſt ex genere ſuo bonum eſſe videatur, puta ſi paganus ad honorem ſuorum deorum virginitatem ſervet, vel eleemoſynam det, hoc ipſo peccat.

Ad ſecundam propoſitionem reſpondeo, intentum Auguſtini in illa non alium eſſe, quàm quod nullum opus ſine fide ſit ſimpliciter & antonomatiçè bonum; quippe cum homini ad æternam gloriam ordinato nihil abſolutè bonum ſit, niſi quod ad eam perducit; nihilque abſolutè malum, niſi quod ab ea abducit. Unde Ezech. 20. præcepta antiquæ legis appellantur non bona; non quod in ſe mala eſſent, ſed quia non erant perfectæ, neque hominem ad perfectionem legis evangeliçæ perducebant, juxta illud Apoſtoli ad Hebr. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex.*

E Quod autem hæc interpretatio ſit legitima, patet ex ipſo Auguſtino lib. 4. contra Julian. cap. 3. ubi ſic ait: *Scio nos illud tanquam dicere bonum hominis, illam bonam voluntatem, illud opus bonum, ſine Dei gratia à nemine poſſe fieri, per quod ſolum poteſt homo ad æternum Dei donum, regnumque perducit.* Unde ibidem eodem. 10. permittit Juliano dicere, bona quædam opera fieri per vires naturæ, dummodo fateatur eſſe ſterilia ad vitam æternam. In eodem ſenſu intelligi debet illud Pauli ad Hebr. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Nihil enim aliud intendit Apo-

Apo-

Apostolos, quam non posse quemquam sine fide esse Deo gratum & iustum, iustitia & sanctitate supernaturali, per quam Deo placuerunt Sancti, de quibus deinceps toto eodem capite loquitur; consequenter ad id quod dixerat ex-
tremis verbis capitis præcedentis: *Iustus autem meus ex fide vivit.*

141 Ad tertiam similiter dicendum, quod quando Augustinus negat in fidelibus veras virtutes nomine vera virtutis intelligit virtutem perfectam, quæ hominem promoveat ad vitam æternam, sive, ut ipse loquitur loco citato, quæ liberandum & beatificandum hominibus deserviat. Unde ibidem dicit: Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis fides per Christum promissit, nihil pro-
B sunt homini virtutes, non sunt vera virtutes. Et D. Thomas supra quest. 65. art. 2. Sole virtutes infuse (inquit) sunt perfectæ, & simpliciter dicenda virtutes, quia bene ordinant hominem ad finem ultimum simpliciter; alia vero virtutes, scilicet acquisitæ, sunt secundum quid virtutes, non autem simpliciter; ordinant enim hominem bene respectu finis ultimi in aliquo genere, non autem respectu finis ultimi simpliciter. Unde Rom. 14. super illud, Omne quod non est ex fide, peccatum est, dicit glossa Augustini: *Vbi deus cognitio veritatis, false est virtus, etiam in bonis moribus.*

142 Advertendum est etiam, virtutes morales ac-
quisitas mediare inter vicia, & virtutes theologicas, & morales infusas: unde quia medium comparatum ad extremum perfectius, censetur imperfectum, & contra videtur perfectum, comparative ad imperfectius (v.g. tepidum comparatum calido, videtur frigidum, & comparatum frigido, videtur calidum; fuscum comparatum ad nigrum, album dicitur, nigrum vero si comparatur ad album) virtutes morales ac-
quisitæ, per ordinem & comparisonem ad theologicas, & morales infusas, imperfectæ dicuntur; contra vero censentur perfectæ, si comparantur ad vitia quibus opponuntur. Igitur quia Augustinus considerat virtutes imperfectas Philosophorum per ordinem ad virtutes perfectas Christianorum, illasque cum istis comparat, ideo dicit eas non esse veras virtutes, sed virtutum umbras & similitudines; sicut aurichalcum, quamvis sit verum metallum, non tamen verum aurum, sed ejus species & imago quædam dicitur.

143 Addo quod, cum virtus non generetur nisi per frequentationem actuum bonorum, & veteres Philosophi rarissime elicere actus bonos & honestos, nisi prava aliqua circumstantia, scilicet vanæ gloriæ vitiatos, ut supra ex Augustino vidimus, rarissime acquirere veras virtutes morales, & quod ex eorum actibus frequenter repetitis generabatur, non erat virtus, sed vitium. Unde egregie Hieronymus Episc. 4. ad Rusticum: *Philosophi sæculi vitium vitio, peccatum, quæ peccata medicantur: nos amore virtutum vitia superamus.*

144 Obijcies secundò: Nullum potest dari bonum opus sine intentione recta; juxta illud Ambrosii lib. 1. offic. cap. 3. *Affectus tuus nomen imponit operi tuo: Sed in infidelibus non potest dari recta intentio, cum fides, quæ est mentis oculus, dirigat intentionem: Ergo nec opus bonum. Quia ratione utitur Augustinus super Psal. 31. ubi sic dicitur: Nemo computet opera sua bona ante fidem, ubi enim fides non erat, bonum opus non*

erat: bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad hujus probationem dicendum cum D. Thoma 2. 2. quest. 10. art. 4. ad 2. ubi prædictum Augustini testimonium exponit: quod si fides dirigit intentionem hominis respectu finis ultimi supernaturalis; sed lumen etiam rationis naturalis potest dirigere intentionem respectu alicujus boni connaturalis homini. Unde Theologi in Tractatu de virtutibus hoc inter virtutes morales acquisitas, & Theologicas, & morales infusas, discrimen statuunt, quod prima per rationem, & prudentiam moralem; alie vero per fidem, & prudentiam infusam regulantur.

Dices, Ad moralem beatitudinem humani actus necesse est ut ad Deum referatur: Sed fidelis, cum careat cognitione veri Dei, non potest ad ipsum suos actus conferre; quemadmodum cæcus non potest dirigere sagittam ad scopum, cum illum non videat: Ergo infidelis nullum potest actum moraliter bonum elicere.

Respondeo distinguendo Majorem: per relationem extrinsecam, seu per actum distinctum, nego; per relationem intrinsecam, & in ipsa entitate actus inhærentem, concedo. Omnis enim actus moraliter bonus, eo ipso quod talis est, seipso in Deum refertur, quia est participatio bonitatis ejus moralis, & consonat rectæ rationi, & legi naturæ, quæ est quædam emanatio, expressio, & participatio legis æternæ, & rationis increatæ, ut antea exposuimus.

S. V.

Gregorii & Vazquezii sententia rejicitur.

Dico tertio: Homo lapsus, sine auxiliis specialibus, & cum solo concursu generali Dei, aliqua opera honesta & moraliter bona naturalis ordinis potest efficere.

Probat per primò Scriptura, Scit enim Apostolus ad Roman. 2. *Gentes quæ legem non habent* (positivam scilicet, Mosaicam, & Evangelicam) *naturaliter ea quæ legi sunt faciunt.* Licet enim hic locus Apostoli intelligi possit de Gentilibus ad fidem conversis, & ly naturaliter explicari de natura per gratiam reformatam, ut ibidem lect. 3. docet S. Thomas: tamen, ut idem S. Doctor ibidem fateretur, & plures ex SS. Patribus nondum conversis; per vires naturæ, seu per dictamen rationis, & legem naturalem, ostendunt eis quid sit agendum, aliqua per legem positivam injuncta facientibus. Unde egregie Tertullianus de corona militis cap. 6. *Apostolus ad Romanos dicens naturam facere nationes ea quæ legi sunt, & legem naturalem suggerit, & naturam legalem.* Et Hieronymus in cap. 29. Ezech. *Perficiendum condemnari nos comparatione Gentilium, si illi lege faciant naturalis, quæ nos etiam scripta negligimus: de quo plenissime ad Romanos, Apostolus disputat.* Augustinus quoque, licet aliam expositionem tradat & præferat, hanc tamen probabilem esse fateatur, lib. de spiritu & litt. cap. 27. & 28. Quare Pius V. Gregorius XIII. hanc Bani propositionem, quæ est 22. meritò proscripserunt: Cum Pelagius sentiat, qui textum Apostoli ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legi sunt faciunt, intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.*

Pro-

149 Probatur secundò ex Augustino de spiritu & A
litt. cap. 27. & 28. docente infideles aliqua fecisse bona opera, ut supra retulimus: quod autem intelligat ea fecisse sine gratia superaddita naturæ, patet tñ ex ratione quam adducit; ait enim eos ita fecisse, Quia non usque adeò in anima humana, imago Dei terrenorum aff. hñm labe, detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta remanserint; & paulò inferius de iisdem Gentilibus, naturaliter benè operantibus loquens, subdit: Ipsi homines erant, & VIS ILLA NATURÆ inerat eis, quæ legitimè aliquid, anima rationalis & sentis & facit, nisi non esset illa pietas qua transiret in vitam æternam: tum etiam quia in libro Hypognosticon, qui totus ex sententiis Augustini confectus est, cap. 4. sic dicitur: Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis; non, ut quòd sit idoneum quæ ad Deum pervenit (id est quæ faciunt ad salutem, quæque gratiam ipsius Dei conciliant, vel ad illam disponunt) sine Deo inchoare, aut certe peragere; sed tantum in operibus vitæ presentis, tam bonis quam etiam malis, donis dico, quæ DE BONIS N. CURA ORIUNTUR, &c

150 Probatur tertio ex D. Thoma, qui apertè favet nostræ assertioni: Tam hic art. 2. docet expressè hominem in statu naturæ corruptæ posse, per virtutem suæ naturæ, aliquid bonum particulare agere. Quibus verbis excludit quodcumque auxilium speciale, distinctum à concursu generali; non enim dicimus hominem posse per virtutem suæ naturæ id ad quod requiritur speciale auxilium, utpote merè gratuitum, & naturæ nullo modo debitum.

151 Neque valet quod respondet Vazquez, nimirum S. Doctorem non loqui de bono morali, sed naturali; quia (inquit) affert in exemplum operum quæ fiunt propter commoditatem naturæ, vel ad gubernationem externam, nempe ædificare domos, plantare vineas &c. Non valet, inquam, Tum quia D. Thomas loquitur de illis prout fiunt ex deliberatione: in sententia verò illius (ut fatetur Vazquez) nullum datur opus deliberatæ factum in individuo, quod neque sit moraliter bonum, neque malum, sed indifferens. Tum etiam quia in illo loco comparat vires hominis lapsi in ordine ad bonum, cum viribus hominis adhuc innocentis, & integri; subindeque cum omnis comparatio debeat fieri respectu ejusdem, de eodem bono loquitur, dicendo hominem lapsum posse aliquid bonum, & non totum, de quo loquitur, dum ait quod homo adhuc innocens, sive in statu naturæ integre, poterat operari bonum suæ naturæ proportionatum; Sed dicendo de homine in statu naturæ integre, ipsum potuisse operari bonum proportionatum, naturæ, loquitur de bono morali, ut satis se explicat, dicens per bonum naturæ proportionatum se intelligere bonum virtutis acquisitæ: Ergo etiam de bono morali loquitur, cum ait hominem lapsum posse aliquid bonum operari virtute suæ naturæ. Et certè ejus ratio, in eo consistens, quod per peccatum natura non sit totaliter extincta, id satis convincit, ut infra patebit. Addo quod quest. 24. de verit. art. 1. expressè docet, hominem posse sine gratia dare elemosynam ex quadam naturali dilectione & bonitate: largitio autem elemosynæ est opus quoddam moraliter bonum.

152 Probatur quarto ex Tridentino sess. 6. can. 1. ubi sic dicitur: Si quis dixerit hominem suis operi-

bus, quæ vel per humana natura vires, vel per legem doctrinam sunt, absque divina per Iesum Christum gratia, posse justificari coram Deo, anathema sit. Nam his verbis videtur apertè supponere Concilium, per vires naturæ, absque Iesu Christi gratia, aliquos actus bonos effici posse. Idem etiam insinuari videtur in aliis Conciliis, quæ ubi de gratiæ necessitate ad opera bona loquuntur, non absolute, sed cum limitatione dicunt illam requiri, nimirum ut homo credat, speret, diligat, & poeniteat, sicut oportet ad salutem & justificationem, ut constat ex Arausicano can. 6. 7. & 27. & ex eodem Tridentino sess. 6. can. 3. Ergo sentiunt hominem aliquos ex his actibus sine gratia efficere posse, licet non fixi ad salutem oportet.

Probatur quinto: In bulla Pii V. & Gregorii XIII. inter alias propositiones Michaelis Baii, istæ, quæ sunt 27. 36. & 61. proscriptæ sunt:

Liberum hominis arbitrium sine Gratia & Dei adiutorio, non nisi ad peccandum valet.

Cum Pelagio sentis qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscat.

Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliqui liberi arbitrii bonus, sive non malus; & Christi Gratia injuriam facit, qui ita sentit & docet.

At in istis propositionibus expressè continetur sententia Gregorii & Vazquezii, docentium non posse liberum arbitrium sine gratia opus aliquod virtutis, unde quæque honestum, efficere: Ergo talis sententia ab his Pontificibus damnata videtur. Unde Tannerus disp. 6. de gratia qu. 3. dubio 3. fatetur se nescire quæ ratione ruto, ac sine periculo, sententia ista hodie possit defendi. Et I. S. de auxil. cap. 10. num. 5. constanter affirmat sententiam Ariminensium, unà cum Michaelis Bajo, ab his Pontificibus esse damnatam.

Nec valet, si dicas, istius Doctores propositiones damnari, non ratione doctrinæ quam absolute continent, sed ratione censura, qua oppositam sententiam notant. Nam prima ex illis propositionibus nullam censuram continet in sententiam oppositam, & tamen à prædictis Pontificibus damnatur.

154 Probatur sexto: Quilibet creatura per facultatem suæ naturæ potest, cum auxilio generali, aliquem actum sibi proportionatum exercere, v.g. ignis potest calefacere, Sol illuminare, &c. ut docet D. Thomas hic art. 1. Ergo & homo per facultatem suæ naturæ, cum concursu generali Dei, aliquem actum honestum & rationi consonum potest elicere. Consequentia probatur: Tum quia alias natura humana aliis imperfectior esset, quæ sibi non sufficeret in naturalibus operationibus, ut ait S. Thomas in 2. dist. 28. quest. 1. art. 5. Tum etiam quia facere aliquem actum honestum & rationi consonum, non minus est consentaneum naturæ rationali, prout distinguitur à sensitiva, inclinata ad bonum sensibile, quam sit consentaneum igni calefacere, & Soli illuminare; unde peccatum dicitur esse contra naturam hominis, seu contra inclinationem naturæ rationalis.

155 Dices, hoc argumentum probare quidem de homine in statu naturæ integre, vel pure, considerato, non vero de homine lapsò, & per peccatum originale vulnerato.

Sed contra primò: Homo in statu naturæ lapsæ habet easdem vires morales in ordine ad prosecutionem boni, quas habuisset in statu naturæ pure,

pura, ut in Tractatu de statibus nature humanæ
fuisse ostendimus: Ergo si in natura pura posset
elicere opus bonum moraliter, sine speciali
auxilio, id etiam poterit in statu nature lapsæ.

Contra secundò: Homo in statu nature inte-
græ, seu iustitiæ originalis, poterat, quantum ad
sufficienciam operativæ virtutis, operari per sua
naturalia omne bonum morale suæ nature pro-
portionatum, ut docet D. Thomas hic art. 2. At
natura humana per peccatum totaliter corrupta
non est; nec liberum ejus arbitrium extinctum,
sed duntaxat infirmatum & attenuatum, ut asse-
rit Tridentinum (sess. 5. can. 5. Ergo quoad suffi-
cientiam virtutis operativæ, homo lapsus potest
per sua naturalia aliquid actum honestum &
moraliter bonum elicere. Consequentia proba-
tur: nam, ut ibidem ait S. Doctor, etsi homo infir-
mus non possit perfectè moveri motu hominis
sani nisi sanetur auxilio medicinarum, tamen potest
per seipsum aliquid motum imperfectum ha-
bere: Ergo si per culpam originalem liberum
hominis arbitrium non sit extinctum, sed dun-
taxat debilitatum & infirmatum, poterit pro-
priis viribus aliquid opus morale ordinis na-
turalis efficere, etsi non omne, quod est pro-
prium liberi arbitrii sani.

156 Confirmatur ex Augustino Epist. 107. ad Vita-
lem, dicente: *Liberum arbitrium ad diligendum
Deum, primi peccati granditate perdidimus.* Nam ex
illis verbis hoc argumentum potest confici. Sup-
posita etiam originali culpâ potest homo per
gratiam Deum super omnia diligere, & tamen
quia id non potest per naturæ vigorem, asserit
Augustinus nos perdidisse liberum arbitrium ad
diligendum Deum: Ergo si homo lapsus nullum
opus bonum ordinis naturalis, viribus propriis
potest efficere, etsi possit per gratiam, liberum
ejus arbitrium non tantum infirmum sed extin-
ctum & amissum erit per culpam originalem, &
non solum corrupta, sed totaliter destructa na-
tura: quod à fide Catholica penitus alienum est.

157 Septimo probatur conclusio: Si requiratur spe-
cialis motio in voluntate ad omnem actum ho-
nestum & moraliter bonum, vel id oritur ex cau-
salitate causæ primæ, vel ex indifferentia volun-
tatis, vel ex eo quod actus sit bonus, vel ex eo
quod voluntas non habeat vires sufficientes ad
illum, vel denique ex eo quod sine gratia defi-
ceret ipsi operi ordinatio in ultimum finem; Sed
ex nullo ex his capitibus oriri potest indigentia
auxilii specialis ad omnem actum honestum &
moraliter bonum: Ergo &c. Major patet à suffi-
cienti enumeratione. Minor probatur quantum
ad singulas partes. In primis enim ex causalitate
primi agentis tantum deducitur seu inferitur au-
xilium generale. Deinde homo in natura inte-
gra erat liber, & consequenter indifferens & in-
determinatus ad bonum & malum, & tamen ad
eligendum bonum honestum & rationi conso-
num non indigebat speciali auxilio, sed dunta-
taxat generali concursu: Ergo exigentia specialis
auxilii non oritur ex sola indifferentia volun-
tatis. Item bonitas moralis non reddit actum im-
proportionatum voluntati, cum ejus obiectum
proportionatum sit bonum morale, seu rationi
consonum: Ergo neque ex hoc capite requiritur
speciale auxilium. Præterea liberum arbitrium
in homine lapso non est extinctum, sed dunta-
taxat infirmum, ut supra ex Tridentino diceba-
mus: Ergo sicut in infirmo manent aliquæ vires
ad modum aliquem imperfectum habendum,

Tom. IV.

A ita & in voluntate hominis lapsi manent vires
sufficientes ad opus aliquod facile, honestum &
moraliter bonum, efficiendum, v.g. ad colendos
parentes, subveiens ad eum egens, &c. Denique opus
honestum, dum modo non referatur in finem
malum, ex se tendit in Deum, totius honestatis
& bonitatis moralis authorem, ut §. præcedenti
declaravimus: Ergo non exigitur specialis gra-
tia ad opus bonum moraliter, ex eo quod ab-
que illa ipsi deficiat ordinatio in ultimum finem.

Probatur ultimò conclusio specialiter contra
Vazquez. Ille enim abutitur nomine gratiæ, &
(ut loquitur Suarez) gratiam palliatam admittit,
dum cogitationem congruam, plerumque ex
causis naturalibus ortam, gratiam specialem ap-
pellat: nam cogitatio congrua de aliquo actu
honesto, duo solum dicit, nempe quod sit cogi-
tatio boni honesti, & quod sit congrua, seu effi-
cax: Sed ex neutro capite habet quod sit gratia
specialis: Ergo &c. Major patet: Minor proba-
tur quoad utramque partem. Et in primis quod
talis cogitatio, ex eo præcisè quod sit de actu &
objecto honesto, non possit dici specialis gratia,
videtur manifestum: quia non est tam corrupta
& vitiosa natura, ut non possit homo ex viribus
naturalibus, & propriâ industriâ, excitare sibi
bonam aliquam cogitationem de aliquo actu
honesto, verbi gratiæ de cultu parentum, aut de
observantia amicorum. Etenim sicut ex phan-
tasmatibus potest abstrahere species mali, ita &
species boni moralis & honesti; cum per phan-
tasmatata non solum proponantur delectabilia
gustûs & tactûs, sed etiam honor verbi gratiæ, erga
parentes, & observantia erga amicos; & quam-
vis hoc non sit à casu, non tamen semper est ex
gratiâ & providentia Dei speciali, sed aliquan-
do ex providentia ejus generali, sicut ex eadem
est ut ignis comburat quod juxta se positum: ex
hac enim providentia generali est, ut homo na-
scatur ex parentibus, & ab illis educetur, &
convivat inter homines ejusdem nature, ex qui-
bus non possunt non oriri plures cogitationes
inducentes ad cultum parentum, & observantiâ
amicorum. Quod verò cogitatio illa de bono
honesto, considerata ut congrua, sive efficax,
gratia specialis dici non possit, facile suadetur:
Tum quia sicut cogitatio sufficiens de actu &
objecto honesto, non est gratia specialis, ut fa-
tetur Vazquez, ita nec cogitatio congrua sive
efficax; cum enim auxilium sufficiens & efficax
sint in eundem ordinem, si cogitatio suffi-
cens de actu honesto non ingreditur ordinem
gratiæ, nec congrua sive efficax ad illum ordi-
nem pertinere poterit: Tum etiam quia Pela-
gius à Conciliis & Sanctis Patribus damnatur,
quod necessitatem veræ gratiæ negaverit: ille
autem non negavit, nec negare potuit volunta-
tem indigere cogitatione congruâ, & proposi-
tione objecti boni & honesti, ad bene operan-
dum; cum evidens sit nihil esse volitum, quin
præcognitum. Ergo cogitatio congrua de bono
honesto, vera gratia dicitur nequit.

Dices cum Vazquez: Voluntas humana, utpo-
te libera, est indifferens ad bonum vel malum
morale, subindeque ei indebitum est quod ad
bonum morale potius quam ad malum determi-
netur: Ergo quod exerceatur in homine cogita-
tio congrua de actu honesto, ipsum ad bonum
morale determinans, specialis gratia & provi-
dentia Dei conditoris dici debet.

Sed contra primò: D. Thomas 2, contra Gen-
tes

G

tes cap. 28. ait: Hoc est ex necessitate alicui debitum, quod ad eius perfectionem requiritur: sicut homini debet esse habere manus vel virtutem, quia sine his perfectus esse non potest. Ergo ex mente Divi Thomae, actus virtuosus, sed indeque cogitatio congrua ad illum debentur humanae naturae, saltem in aliquo individuo, etsi omnibus individuis debita non sint. Unde sicut pulchritudo corporalis, aut ingenij acumen, etsi omnibus individuis naturae humanae non debeantur, quia tamen sunt debita naturae in communi, ad specialem gratiam non pertinent, sed ad providentiam generalem: ita & cogitatio congrua actus honesti & moraliter boni.

161 Contra secundò: Cogitatio sufficiens ad bonum honestum, in sententia Vazquezij, specialis gratia Dei conditoris non est, & tamen voluntas ut praevenit omnem cogitationem, per quam in actu primo ad operandum completur, indifferens est ut ei praeparetur cogitatio sufficiens ad bonum aut cogitatio sufficiens ad malum: Ergo quod voluntas, supposita cogitatione sufficiente, indifferens sit ad cogitationem congruam & non congruam ad bonum, non arguit cogitationem congruam ad bonum honestum esse gratiam specialem.

162 Tertiò: In eisdem Authoris sententia, cogitatio congrua ad opus in individuo indifferens, specialis gratia non est, & tamen voluntas, ut est in actu primo, indifferenter se habet ut opus relinquit in sua indifferencia, vel ad malum finem ordinetur. Ergo ex indifferencia voluntatis ad bonum & malum, non recte inferitur, cogitationem congruam ad bonum honestum esse specialem gratiam.

Nec valet, si dicas, cogitationem congruam ad opus indifferens, indebitam quidem esse, non tamen esse specialem gratiam, quia opus indifferens non est voluntatis perfectio, sicut actus honestus & moraliter bonus. Nam licet opus indifferens non sit tanta voluntatis perfectio, ac opus bonum, tamen aliqua ipsius perfectio est, negatio enim relationis ad malum finem, quae opus indifferens infici poterat, aliqua perfectio, saltem negativa, voluntatis dici potest.

163 Contra quarto: Cum voluntas connaturaliter inclinatur ad bonum honestum, rationi consonum, peccatum vero sit contra naturam hominis, & inclinationem naturae rationalis, monstrum valde esset, quod nunquam ad bonum honestum, sed semper ad malum determinaretur: At quod sine monstruositate semper denegari non potest, specialis gratia conditoris non est. Ergo cogitatio congrua, seu efficax, determinans voluntatem ad actum honestum & moraliter bonum, specialis gratia conditoris dici nequit.

§ VI.

Convelluntur praecipua fundamenta Vazquezij.

164 **E**A fusè & lato calamo Author ille prosequitur hic disp. 190. ubi in primis obijcit varia Scripturae testimonia, quibus insinuari videtur, hominem lapsum, sine speciali Dei auxilio, nullum opus moraliter bonum posse efficere. In primis Christus Joan. 15. ait: Sine me nihil potestis facere. In qua verba S. Augustinus Tractatu 81. in Joan. inquit: Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Item, Co-

165 **A**rinth. 7. Apostolus dicit: Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Unde cum nullum opus moraliter bonum fieri possit, nisi bona aliqua cogitatio praecedat, hinc sequi videtur, illud non posse fieri sine speciali Dei auxilio.

Secundò opponit plura Conciliorum, & 169 Summorum Pontificum dicta, quae videntur favere suae sententiae. Primum est Gratiam Dei ad singulos actus dari: quod fateri coactus est Pelagius in Concilio Palatino. Secundum: Nullum opus bonum esse ex nobis, Ita Arausicanum can. 9. & Celestinus Epist. 1. ad Episcopos Galliae cap. 9. ubi ait: Ita Deus in cordibus, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bone voluntatis, ex Deo sit. Tertium: Omnia opera bona sunt ex gratia Dei. Ita idem Celestinus in eadem Epistola cap. 8. dicens: Omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum & c. divinae gratiae debent adscribi. Cui consonat, quod ait Innocentius 1. Epistolam ad Concilium Milevitanaum, voluntatem scilicet nihil posse, celestibus auxiliis destitutam. Quartum: Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Ita Arausicanum 2. can. 22.

166 Similia habent SS. Patres praesertim Ambrosius & Augustinus: ille enim lib. 1. de vocat. gent. cap. 3. dicit: Si Deus non operatur in nobis nullus possumus participes esse virtutis. Et cap. 9. Omne verbum bonum, & omne opus sanctum, subministratio est Spiritus Sancti, sine quo nihil recte agitur. Iste vero sem. 13. de verbis Apostoli, loquens de auxilio gratiae Dei: Prorsus (inquit) si defuerit, nihil boni agere poteris; agis quidem illo non adjuvante, libera voluntate, sed male.

167 Ad haec Scripturae, conciliorum & SS. Patrum testimonia, dicendum cum S. Thoma quaest. 24. de verit. art. 14. in resp. ad argumenta sed contra, haec debere intelligi de opere bono ad salutem animae, & vitam aeternam conducente: vel fide quotumque opere bono, etiam naturalis ordinis, intelligantur, nomine gratiae significari auxilium seu concursum Dei generalem ad agendum necessarium. Unde idem S. Doctor super cap. 15. Joan. lect. 1. exponens verba illa Christi: Sine me nihil potestis facere, subdit: Opera nostra aut sunt virtute naturae, aut ex gratia divina: si virtute naturae, cum omnes motus naturae sint ab ipso Verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moveri potest sine ipso: si vero virtute gratiae, cum ipse sit author gratiae.... manifestum est quod nullum opus meritorium sine ipso fieri potest.

168 Dices: Concilia & SS. Patres citati loquuntur in sensu contradicente Pelagio: At ille non negabat opera bona procedere à Deo ut authore naturae per concursum generalem, sed solum à Deo ut largitore gratiae, & per auxilium specialem: Ergo secunda interpretatio non est legitima, nec ad mentem Conciliorum & SS. Patrum.

169 Respondeo falsum esse, quod Pelagius satis referret ad Deum ut authorem naturae omnia bona opera moralia ordinis naturalis; & quod satis agnosceret nostram dependentiam à Deo in operando: etsi enim fateretur hominem nihil posse agere sine immediato Dei auxilio, quo agitur in nobis sine nobis, & quo operatur ut operemur; quia existimabat destitui libertatem arbitrij, si homo nihil posset operari, nisi praeparante,

ante Deo & voluntatem ejus ad agendum præ-
movere, ut in Tractatu de hæresi Pelagiana o-
mne est. Unde Arausicanum can. 9. u-
trumque Dei auxilium, tam simultaneum quam
præsumptum distinguit, dicens: Quoties bona a-
gimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut ope-
remur operatur. Et Augustinus de gratia & lib-
erum arbitrium (inquit) ut velimus operatur inci-
piens, qui volentibus cooperatur perficiens. Item
Gregorius 6. Moral. cap. 11. ait: Superna
gratia prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subse-
quente quoque nostro libero arbitrio, quod jam appe-
titum est nobiscum.

Ex quibus intelliges, quod quando Conci-
lium Arausicanum dixit: Nemo habet de suo nisi
mendacium, & peccatum, velly de suo intelligi de-
bet per exclusionem auxilij generalis, vel men-
dacium & peccatum improprie & late usurpan-
tur, pro quocumque actu defectuoso & insuf-
ficienti ad vitam æternam, vetustis Patribus usitatum,
Qui (ut ait Sixtus Senensis libro 6. Bibliot.
annot. 40. Juniverſa opera, quæ ſeculæ divi-
gratia ope ſeſcit, nedum non bona dicebant, ſed
ſequentiſſimè & mala & vitia, & peccata appella-
bant: non quod ea verè & ſimpliciter mala ac peccata
eſſe crederent, ſed quia ſi rent ipſa nec ad acqui-
rendam Chriſtianam juſtitiam prodeſſe, nec ad com-
parandam æternæ felicitatis bonum proſicere; & ob
id ea in bonorum numerum reſerre non dignarentur.
Hanc autem interpretationem eſſe legitimam
pater primò ex Scriptura, quæ Ezechiel. 20.
ait: Dedi eis præcepta non bona. Quod explicans
D. Thomas ſuprà quaest. 98. art. 1. ad 1. in-
quit: Dominus loquitur ibi de præceptis caremoni-
alibus, quæ quidem dicuntur non bona, quia gra-
tiam non conferbant, per quam à peccato homi-
nes mundarentur. Secundò id conſtat ex Augu-
ſtino libro 4. contra Julianum cap. 3. dicen-
te: Scito nos illud opus bonum dicere, per quod ſo-
lum homo poteſt ad æternum Dei donum, regnum-
que perducì. Tertiò, quia ſi mendacium &
peccatum ſtriçtè & in rigore à Concilio Arau-
ſicano uſurparentur, ſequeretur hominem non
ſolum nullum actum moraliter bonum, ſed ne-
que etiam ullum opus indifferens (quod Vaz-
quez exultimar dari poſſe in individuo) ſine ſpe-
ciali gratiæ auxilio poſſe efficere: actus enim in-
differens non eſt peccatum, neque mendacium.
Quartò, quia ipſum Concilium aperte declarat,
ſe de operibus ad vitam æternam conducenti-
bus loqui: nam can. 7. ait: Si quis dixerit hominem
per naturæ vigorem bonum aliquod, QUOD AD
SALUTEM PERTINET VITÆ ÆTER-
NÆ, cogitare ut expedit, aut eligere poſſe, hæretico
ſallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Evan-
gelio dicentis: ſine me nihil poteſtis facere; & illud
Apoſtoli: Non quod idonei ſumus cogitare aliquid à no-
bis, quæſi ex nobis &c. Denique Concilia &
Patres, locis adductis, Pelagij errorem
damnare intendunt: At Pelagij non erravit
in hoc, quod ad opus aliquod moraliter bonum
ordinis naturalis gratiæ neceſſitatem negaverit,
ut ſaceri teneretur Vazquez, ne incurrat cenſuram
Pij V. & Gregorij XIII. hæc Michaëlis Baij
Propoſitiones damnantium: Pelagianus eſt er-
ror, dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum
peccatum vitandum. Cum Pelagius ſentit qui boni a-
liquid naturalis, hoc eſt quod ex ſolis naturæ viribus
ortum ducit, agnoſcit: Ergo quando Conci-
lia & S. S. Patres dicunt gratiam ad ſingulos

Tom. IV.

actus eſſe neceſſariam, non loquuntur de acti-
bus honeſtis & moraliter bonis ordinis natu-
ralis, ſed tantum de actibus meritoriis, & ad
ſalutem animæ, atque ad vitam æternam con-
ducentibus.

Objicit inſuper Vazquez plura D. Thomæ
teſtimonia, ex quibus duo tantum apparent dif-
ficilia. Primum ſumitur ex quaest. 24. de verit.
art. 14. ubi S. Doctor quaerens, Num, liberum
arbitrium poſſit in bonum ſine gratia: ſic conclu-
dit: Si gratiam Dei velimus dicere, non aliquod
habitudo dolum, ſed ipſam miſericordiam Dei,
per quam interius motum mentis operatur &c. ſic
nec ullum bonum homo poteſt facere ſine gratia Dei:
ſed communiter loquentes, utuntur nomine gratia
pro aliquo bono habituali juſtificante. Secundum
habetur 2.2. quaest. 136. art. 3. ad 2. ubi ait: Bo-
num politica virtutis commensuratum eſt naturæ hu-
manæ; & idò abſque auxilio gratiæ gratum facien-
tis poteſt voluntas humana in illud tendere, licet non
abſque auxilio gratiæ Dei. Ergo ex D. Thomæ ad
omnem actum moraliter bonum, etiam ordinis
naturalis, & ad omne opus cuiuscumque virtu-
tis moralis, neceſſarium eſt auxilium aliquod
gratiæ Dei, à dono creatiſſimis diſtinctum, licet
donum gratiæ habitualis ſeu gratum facientis,
non requiratur.

Ad primum teſtimonium reſpondeo D. Tho-
mæ ibi non loqui de gratia proprie & ſtriçtè
ſumpta, ſed largè & improprie acceptæ, nimi-
rum de concurſu generali Dei, qui gratia eſt,
utpote abſque ullis meritis, & gratuita Dei
bonitate donatus, ſed non ſpecialis, & à dono crea-
tiſſimis diſtincta. Quod autem hæc interpretatio
ſit menti S. Doctoris conſona, patet primò ex
verbis illis quæ ibidem habet: Quamvis autem
hujusmodi bona poſſit homo facere ſine gratia gratum
faciente, non tamen ſine Deo... quia cauſa ſecunda
non agit, niſi per virtutem cauſæ primæ, ut dicitur
in libro de cauſis: At concurſus Dei, neceſſarius
ex communi ratione dependentiæ cauſæ ſecun-
dæ à prima, generalis eſt, ut patet; Ergo S. Tho-
mas de concurſu generali loquitur. Secundò
patet, quia ad omnia argumenta ſectando loco
poſita ad probandam neceſſitatem gratiæ ad
ſingula opera, his verbis reſpondet: Ad ea verò
quæ ſunt in contrarium patet ſolutio: nam vel proce-
dunt de opere meritorio, vel oſtendunt quod ſine ope-
ratione Dei homo nullum bonum facere poteſt. Sen-
tit ergo D. Thomas ad opus bonum morale
requiri ſolum gratiam largè & improprie acce-
ptam, pro operatione Dei in cauſam ſecundam,
in qua generalis concurſus conſiſtit. Tertiò ad
ipſum patet: quia idem S. Doctor auxilium ge-
nerale gratiam Dei interdum appellat, ut verbi
gratiâ in 2. diſt. 28. quaest. 1. art. 1. ad 1. ubi de
homine ait: Nihil boni poteſt facere ſine gratia
Dei, ſecundum quod intelligitur gratia ipſe Deus
gratis dans, eo quod ipſe eſt principium omnis boni,
non tantum in hominibus, ſed etiam in aliis creaturis:
ibi, inquam, D. Thomas auxilium generale
vocat gratiam Dei: nam quod hoc modo
Deus gratis dat, non eſt aliud quàm ejus ge-
neralis concurſus, qui licet juxta exigentiam om-
nium creaturarum conferatur, gratis tamen il-
lis datur, ſicut & naturæ creatio, quæ teſte Au-
guſtino Epistolâ 95. Quadam non improbandâ ra-
tione dicitur gratia Dei &c. quia non præcedentium
aliquorum operum meritis, ſed gratuita à Dei bonitate
donata eſt.

Si contra hanc ſolutionem inſteſ, & dicas ge-
neralem

neralem concursum non posse misericordiam Dei appellari, sed hoc nomine gratiam specialem intelligi: Ergo cum D. Thomas gratiam, quam ad omnem actum moralem bonum exposcit, misericordiam Dei appellet, exigit gratiam specialem a concursu generali distinctam. Respondebo negando Antecedens: nam ut docet idem S. Doctor 1. parte quest. 21. art. 4. in omni opere Dei misericordia & iustitia inveniuntur, juxta illud Psalmi 24. *Universe via Domini misericordia & veritas*; quod expressè ibi docet verificari etiam in opere creationis: si tamen (inquit) misericordia pro remotione cuiusvis defectus accipitur, quamvis non omnis defectus proprius possit dici miseria, sed solum defectus rationalis natura, quam contingit esse salicem: nam miseria facit contrarietatem: Cum ergo per concursum generalem Dei, quo voluntatem applicat ad opus morale, defectus potentialitatis, & indeterminationis ad illud removeatur, rectè potest talis concursus, Dei misericordia appellari.

Ex his patet responsio ad secundum D. Thomae testimonium, in quo ad bonum opus virtutis politica auxilium gratia requiritur: hoc enim non est intelligendum de auxilio gratia specialis, sed de generali concursu, qui est gratia communiter dicta, ad donum creationis pertinet. Vel dici potest, S. Doctorem ibi loqui de opere morali eximio, quale est sustinere plura & gravissima mala propter bonum patriæ: ad hoc enim opus heroicum requiritur speciale auxilium, ut ex infra dicendis patebit.

174 Obijcit tertio Vazquez: Utile nobis est pro singulis actibus bonis gratiam Dei postulare: Ergo ad illa facienda necessarium est auxilium gratia. Antecedens constat ex variis orationibus Ecclesiæ, in quibus non pro quibusdam tantum, sed pro omnibus actionibus gratiam Dei postulat: nam in oratione Dominica 6. post Epiphaniam dicitur: *Presta quasumus omnipotens Deus, ut semper rationabiles meditates, que tibi sunt placita, & dictis exequamur, & factis*: Et in oratione Dominica 8. post Pentecosten: *Largire quasumus nobis Domine semper spiritum cogitandi que recta sunt, propitius & agendi &c.* Itera in oratione Dominica 16. dicitur: *Tu nos quasumus Domine gratia semper præveniat & sequatur, ac bonis operibus inter præstet esse intentos.* Demum in Litaniis est insignis illa oratio: *Actones nostras quasumus Domine aspirando præveneri, & adjuvando proseguere &c.* Consequentia verò probatur ex SS. Patribus, qui ex utilitate orationis, gratia necessitatem passim inferunt, frustra que a nobis orari dicunt, si id quod postulamus, in nostra situm est potestate: ut patet ex Augustino Epist. 107. ad Vitalem, & de natura & gratia cap. 18. & ex Hieronymo in Epist. ad Cresiphontem, ubi contra eos qui cum Pelagio solam creationis gratiam agnoscunt, sic infert: *Ergo nequaquam ultra orare debemus, nec illius clementiam precibus flectere.* Item Patres Concilii Carthaginensis Epistola ad Innocentium, quæ apud D. Augustinum est 90. contra Pelagianos asserentes ad operandam, perficiendamque iustitiam, & Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere posse naturam, sic arguebant: *Si enim possibilitate natura & arbitrio voluntatis, in potestate nostra sunt constituta, quis non ea videat à Domino inaniter peti, & fallaciter orari &c.*

175 Simile argumentum desumit Vazquez ex gratiarum actione: verè namque & non fallaci-

ter pro singulis bonis operibus Deo gratias agimus: Ergo ad singula necessaria est gratia specialis. Patet consequentia ex Augustino de prædest. Sanct. cap. 19. & Epist. 107. ad Vitalem, ubi ex gratiarum actione pro fide, & aliis bonis operibus, non fallaciter sed verè facta, infert contra Pelagium gratia necessitatem, docetque vanè Deo gratias agi pro aliquo, si illud in nostra sit potestate: *Prorsus (inquit) non oramus Deum, sed orare fingimus, si nos ipsos, non illum, credimus facere quod oramus. Prorsus non agimus gratias Deo, sed agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsi facere non putamus.*

Ad hoc argumentum, quod est præcipuum fundamentum Vazquezi, in primis dico, peti ab Ecclesiâ gratiam pro singulis actibus bonis, ut ad salutem proficiamus, non verò pro singulis, secundum solam bonitatem moralem spectatis. Unde hoc argumentum solum probat gratiam necessariam esse ad singulos actus, quatenus ad salutem conducunt (quod libenter fateor non verò ad illos, ut honestate & bonitate moralitè duntaxat præditi sunt: de quo solum in præfati disputamus. Quod autem ea solum mente & intentione orationes fiant ab Ecclesiâ, patet: Tum quia Ecclesiâ in prædictis collectis non quantumque gratiam à Deo petit, sed gratiam Salvatoris; unde illas concludit: *per Dominum nostrum Iesum Christum, ex cuius meritis talem gratiam sibi dari postulat: omnis autem gratia Christi Salvatoris, ad vitam & salutem æternam, ut ad finem ultimum tendit: Tum etiam, quia Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 11. explicans petitionem illam orationis dominicæ, quam Ecclesiâ in suis precibus imitatur: *Sed libera nos à malo*, sic ait: *Oramus, ut liberet nos à malo, ipsa enim liberatio liberos nos facit, id est filios Dei, ut spiritu adoptionis clamemus Abba pater.* Credit ergo Augustinus victoriam tentationis, quæ à malo liberamur, postulari in oratione dominica, non utcumque, sed quatenus ad salutem conducit, & qualiter expedit filiis Dei. Unde D. Thomas 2. 2. quest. 83. art. 5. ex eodem S. Doctore probat bonâ temporalia non esse absolute postulanda à Deo, sed solum in ordine ad aliud, nempe in ordine ad vitam æternam, & secundum quod expediunt ad salutem, seu quatenus sunt quedam adminicula, quibus adjuvamus ad tendendum in beatitudinem.*

Respondeo secundò: quod etsi daretur actus honestos & moraliter bonos posse absolute à Deo postulari, ex hoc tamen non rectè inferretur, gratiam strictè & propriè sumptam ad illos semper requiri: sæpe enim in oratione petimus quæ cum solo auxilio generali haberi possunt, ut pluvias, fructus terræ, & corporum sanitatem: & quamvis effectus naturales, qui omnino necessarii sunt, ut ortus Solis, descensus gravium, & ascensus levium, petendi in oratione non sint; contingentes tamen, piè, prudenter, & utiliter à Deo postulantur, etiam si in nostra sint potestate, qualia sunt bona moralia; quia non ita sunt in nostra potestate ut ad hæc sufficiat sola natura, sed ulterius requiratur auxiliū generale Dei pramovens ac prædeterminans voluntatem ad bonum honestum & rationi consonum; quod auxilium, licet sit generale, & ad generalem Dei providentiam pertineat, habet tamen aliquid fallibilitatis & contingentia, quia Deus semper, & in omnibus occasionibus & circumstantiis, voluntatem ad bonum morale & honestū præ-

movere non tenetur, sed eam ad solam rationem boni in communi applicare potest. Unde sicut Augustinus de natura & gratia cap. 18. recte probat nos pie & prudenter, ac utiliter orare, ad opera bona quæ conducunt ad vitam æternam obtinenda, quia licet voluntas ad ea concurrat, requiritur tamen auxilium gratiæ: *Licet* (inquit) non fiat, nisi voluntas adsit, tamen ut fiat, voluntas sola non sufficit, ideo pro hac re nec superflua nec impudens Domino immolatur oratio: Ita similiter, etsi voluntas ad actus honestos & moraliter bonos concurrat, quia tamen, ut illos eliciat, necessarium est generale auxilium, ipsam ad bonum honestum præmovens & applicans, quod Deus in quacumque occasione dare non tenetur, recte colligitur, pro illis actibus & auxiliis nos pie & prudenter orare posse.

178 Quod diximus de oratione, servatâ proportionem, dicendum est de gratiarum actione, nimirum nos Deo gratias agere pro singulis bonis operibus, ut ad salutem & vitam æternam conducunt, quia sub hac ratione a gratia speciali procedunt. Vel etiam dici potest, ad gratiarum actionem sufficere, quod beneficium quod recipimus sit gratia quædam generalis: nam pro beneficio creationis & conservationis verè & non fallaciter gratias agimus Deo, & tamen specialis gratia non est: Non ergo inferri potest ex utilitate gratiarum actionis ut sic, necessitas gratiæ specialis, sed solum necessitas alicujus gratiæ, vel generalis, vel specialis, vel stricte & propriè, aut largè & improprie sumptæ: Augustinus verò locis citatis ex illa recte colligit gratiæ specialis & propriè dictæ necessitatem; quia argumentatur ex gratiarum actione facta Deo ut specialiter beneficianti, qualem quilibet fidelis debet illi reddere pro vocatione ad fidem, quæ speciale Dei beneficium est.

179 Obijciunt quartò: Nullum unquam opus bonum morale homo deliberatè vult, aut facit, quin aliqua præcedat deliberatio rationis, quæ semper ex aliqua prima cogitatione inde liberata dependet, quæ nisi occurrat, nunquam de tali bono faciendo deliberabit, nec proinde illud unquam faciet: unde Aristoteles, à S. Thoma hic art. 2. ad 1. citatus, dicit initium bonæ consultationis esse à bona fortuna id est, non procedere à deliberata ipsius hominis voluntate, nec ab ejus electione pendere: *Nemo enim* (inquit Augustinus) *habet in potestate quod ei veniat in mentem*: Sed talis bona cogitatio, quæ est principium bonæ consultationis & deliberationis, non potest non esse specialis gratia conditoris; cum illa indebita sit, eò quod per peccatum homo debitum carenti omni cogitatione sanctâ incurrit: Ergo ad actum honestum & moraliter bonum specialis gratia Dei conditoris requiritur.

180 Respondeo concessa Majori, negando Minorem. Ad cujus probationem dicendum, quod licet cogitatio congrua de bono honesto, quæ est principium bonæ consultationis & deliberationis, omnibus individuis naturæ humanæ debita non sit, ipsi tamen naturæ debetur in aliquo saltem individuo: Vel ut alij dicunt, etsi illa non sit debita semper & debito necessario, subindeque possit absque injuria denegari, debetur tamen aliquando, seu debito contingenti fallibili: Nam ut ait D. Thomas, contra Gentes cap. 28. *Hoc est ex necessitate alicui debitum, quod ad ejus perfectionem requiritur*: natura verò rationalis sine

Item. IV.

A ulla honesta cogitatione & operatione, imperfectissima foret, ut potest in omni individuo carere termino primariæ inclinationis naturalis, quam habet ad bonum honestum & rationi consonum. Sicut ergo (ut ibidem dicebamus) pulchritudo corporalis, aut ingenij acumen, etsi omnibus individuis naturæ humanæ non debeantur, ac pluribus citra injuriam denegentur; quia tamen sunt debita naturæ in communi, & alicui saltem individuo; vel quia, ut alij dicunt, naturæ humanæ debentur aliquando, seu debito fallibili & contingenti, ad specialem gratiam non pertinent, sed ad providentiam generalem: Ita & cogitatio congrua de bono honesto, quæ est principium bonæ consultationis & deliberationis, licet non sit omnibus debita, non tamen dici debet gratia specialis.

B Ad illud quod subditur, dicatur quod propter culpam originalem incurrimus debitum carendi omni bonæ cogitatione, conducente ad salutem & justificationem; non tamen omni cogitatione honesta, seu ad bonum honestum & rationi consonum excitante; quia hæc non est supra, sed juxta debitum proportionis naturæ humanæ, quandiu non extinctum liberum arbitrium, neque deleta imago Dei: Augustinus enim supra relat, ad imaginem Dei in creatione acceptam reducit potestatem ad opera bona moralia, subindeque auxilium & cogitationem requisitam ad ea elicienda.

C Dices: Voluntas hominis ad bonum & ad malum indifferens est: Ergo non magis perit ad bonum quam ad malum per cogitationem congruam, seu auxilium efficax, excitari & determinari: indifferens enim, in quantum tali, debita non est determinatio ad unam partem, sed indifferens, magis quam ad aliam.

182 Respondeo primò hanc instantiam non procedere specialiter de homine in natura lapsa, de qua hic loquimur, sed etiam de homine in natura integra, in qua esset etiam liber, subindeque indifferens & indeterminatus ad bonum & malum.

D Respondeo secundò, concessa Antecedente, negando Consequentiam. Ad cujus probationem distinguo Antecedens: indifferens æqualiter se habenti ad utrumque, concedo Antecedens: inæqualiter utrumque relati, nego Antecedens, & Consequentiam: Nam voluntas etsi ad bonum & malum indifferens sit, non tamen omnino æqualiter comparatur ad illa, quia ad bonum inclinatur, à malo autem per inclinationem recedit: unde supra quæst. 71. art. 1. peccatum contra naturam hominis esse asseritur, & voluntas hominis ad bonum & malum indifferens, dicitur indifferens elicientiæ, non autem indifferens inclinationis.

183 Obijciunt ultimò. Opera ad salutem & justificationem conducentia, vel disponentia, non possunt sine speciali Dei auxilio elici: & opera moraliter bona conducentia ad justificationem & vitam æternam dispositivè, vel meritò, saltem de congruo; cum divinam largitatem & bonitatem deceat, ut homini facienti quod potest, seque in actibus moraliter bonis exercenti, sua dona largiatur: Ergo opera moraliter bona sine speciali gratia fieri nequeunt.

184 Respondeo concessa Majori, negando Minorem: opera enim naturalia, licet moraliter bona, si antecedant gratiam & charitatem, atque adeo non fiant ex ejus imperio, sunt inferioris ordinis

ad ipsam, subindeque & improporcionata: unde cum omnis dispositio debeat proportionari formæ & esse ejusdem ordinis cum illa, talia opera nullo modo ad gratiam disponunt. Item licet non decet munificentiam Dei, opera indifferencia supernaturali præmio remunerari, ob improporcionem quam habent ad illud: ita nec decet illum remunerari opera moraliter bona supernaturali præmio, quia respectu illius sunt improporcionata. De quo plura diximus in Tractatu de prædestinatione.

Disput. 2.

Art. 3.

§. VII.

Corollarium negatu dignum.

185 **E**X dictis inferes contra Vazquem, quod si homo in statu naturæ lapsæ potest, sine speciali auxilio, aliquod opus honestum & moraliter bonum efficere, ita & levem aliquam tentationem, per aliquod motivum honestum & moraliter bonum, superare; cum utrobique sit par ratio. Unde in Bullis Pii V. & Gregorii XIII. contra doctrinam Baii editis, damnatur ista propositio: *Omnes sunt fures & latrones, qui dicunt tentationi ulli, sine gratia Dei adiutorio, resistere hominem posse.*

186 Pro majori tamen huius corollarii intelligentia, Advertendum est, tripliciter posse vinci tentationem: Primò ex pravo fine, ut cum quis vincit tentationem luxuriæ ex avaritia, aut tentationem gulæ ex inani gloria: & hoc modo certum est non esse necessariam gratiam; cum hæc non sit bona nec vera victoria, Quoniam, *eternalis cupiditas, cupiditate aliâ non sanatur*, ut dicit Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 4. Secundò propter Dei amorem, seu ex charitate: & hoc modo certum est non posse tentationem vinci sine gratiæ auxilio. Unde Hieronymus supra citatus hoc discrimen inter Philosophos & Christianos statuit, quod Philosophi (inquit) *vitium vitio, peccatumque peccato medicantur: nos amore virtutum vitia superamus.* Hinc etiam Augustinus 20. de civit. Dei cap. 16. ait: *Tunc victa vitia reputanda sunt, cum Dei amore vincuntur.* Tertiò potest vinci tentatio ex aliquo motivo & fine honesto: & hoc adhuc dupliciter contingere potest: nempe aut cum provenitu & lucro animæ, ita ut talis victoria ad salutem animæ conducatur; & hoc modo etiam certum est necessariam esse gratiam, vel auxilium super naturale: aut sine tali provenitu, fructu, seu lucro animæ; & hoc modo dicimus posse hominem in natura lapsæ, sine speciali auxilio gratiæ, leves aliquas tentationes vincere ex aliquo motivo honesto & moraliter bono; sicut ex eodem motivo potest aliqua opera honesta & moraliter bona, cum solo generali concursu efficere. Græves autem & difficiles tentationes contra præceptorum naturalium observantiam, absque speciali auxilio vinci non posse, art. 5. dicemus.

187 Contra hoc corollarium objici possunt primò authoritates Conciliorum, & testimonia Patrum. Concilium enim Arausicanum can. 9. expressè dicit: *Divini muneris est, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & iniustitia tenemus, quod profecto facimus, quoties alicui tentationi, quantumvis levi, resistimus.* Chrysostomus homil. 24. in 1. ad Corinth. interrogans ad quas tentationes sit necessaria gratia? Respondet, *Ad omnes.* Theophylactus etiam ibidem ait: *Qua-*

A cumque tentatio vires nostras exuperat, nisi Deus auxilietur nobis. Demum D. Prosper contra Collat. cap. 35. dicit, nec etiam leviores tentationes sine gratia vinci posse.

Secundò objicitur: Non inaniter victoriam tentationum, etiam levium, supplici oratione à Deo postulamus, & pro quavis superata ipsi gratias agimus: Ergo signum est absque speciali auxilio non posse superari.

Tertiò: Vel tentatio est levis, vel gravis? si gravis, non potest homo cum solo concursu generali ei fortiter resistere: si levis, hoc ipsum est specialis gratia Dei, quia est effectus providentiæ specialis, non sinentis eam fieri gravem: Ergo ad resistendum tentationi, etiam levi, necessaria est homini gratia specialis, si non interna, saltem externæ protectionis & providentiæ.

Respondet ad primum, mentem Patrum, & intentum Conciliorum non esse locis citatis, negare quomodocumque quod homo lapsus, omni auxilio speciali destitutus, vincere possit tentationem, etiam levem, sed solum quod ex motivo charitatis, sive in ordine ad salutem, hoc possit. Vel, ut alii dicunt, loquuntur de victoria completa & perfecta, quæ perducatur ad veram justificationem, & liberet à peccato. Unde Augustinus ait, *Deum esse adiutorem ad gerendam, perficiendamque iustitiam; & ided nos petere hoc, dum dicimus, Et ne nos inducas in tentationem.*

Addo D. Prosperum, loco citato, non loqui de tentationibus absolute levibus, sed quæ comparatione facta ad tentationem Job, de qua ibi tractat, leves sunt, quamvis absolute spectatæ graves sint: alios verò Patres & Concilia, per omnes tentationes, intelligere duntaxat omnes graves, quia quæ leves sunt, quasi nihil moraliter reputantur ab ipsis.

Ad secundum patet responsio ex dictis §. præcedenti, in responsione ad similem objectionem.

Ad tertium respondeo primò, quod licet daremus effectum specialis providentiæ Dei semper esse, quod levis tentatio non fiat gravis; non tamen inde sequeretur necessariam esse specialem gratiam ad vincendas quas cumque tentationes, etiam leves: providentia enim illa specialis solum removeret gravem tentationem, non verò juvaret ad superandam levem.

Respondet secundò, negando Antecedens: quamvis enim quocumque tempore occurrat tentatio levis, posset occurrere gravis, non tamen quacumque tentatio levis fieret gravis, si Deus specialiter id non impediret: sunt enim aliquæ tentationes, ex impulsu appetitus insurgentes, quæ ex ipsa hominis complexione, & aliis causis, naturæ suæ leves sunt, & urgentiores esse nequeunt. Ex parte etiam demonis potest accidere quod tentatio sit levis, vel quia ipse negligit causare majorem, juxta illud Gregorii 24. Moral. *Quos securos possidet, tentare negligit: vel quia, ut docent Patres, parvipendit illa opera bona, quæ non conducunt ad vitam æternam: in quo sensu idem Gregorius homil. 8. in Ezechiel. ait: Diabolus in nobis solum charitatem timer.*